

Jochim Nessen von

Oratio, De Quastione, An Adulatores In Republ. Sint Ferendi

Rostochii: Pedanus, 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729228207>

Druck Freier  Zugang



F. von Nesen ,
R. U. phil. 1617 .

ORATIO,
DE
QVÆSTIONE,
AN ADULA-
TORES IN
REPUBL. SINT
FERENDI:

Scripta,

Et in alma Rostochiensis Academia

*a. d. 15. Martij in Auditorio
majori*

Publicè recitata

à

JOACHIMO von Nessen.



ROSTOCHII

Typis exscripsit Ioachimus Pedanus,

Anno M. DC. XVII.



*Magnifico, Clarissimo, Consultissimo,
amplissimoq; Viro,*

**DN. HAJONI von Nessen/
Iurisconsulto, Cancellario Megapolitano,
& in alma ad Varnum Balthicum Aca-
demia Antecessori, Patri meo
honorando:**

*has ingenij & studiorum primitias
tanquam ipsi debitas,*

Ioachimus von Nessen

do, dico, consecro.





Agnifice Domine Rector, Reverendi item Clarissimi, Consultissimi, Excellentissimiq; Viri, tuq; floridissima Nobilissimorum juxta ac Præstantissimorum Juvenum corona, cogitanti mihi & penitus consideranti, qua ratione hac societate civili tum commodius, tum etiam felicius frui queamus; nihil utilius, nihil salutarius, nihil deniq; necessarium æquè videtur, quam si Reipubl. salutem, tanquam supremam legem nobis ob oculos seriò ponamus. Etenim Reip. conditio nostram omnium salutem & fortunas uno quasi ambitu complectitur: quâ incolumi, nos, (quamdiu quidem illud naturæ concessu licet) incolumes degimus: eadem vero labente, omnia nostra nobiscum funditus corruiere necesse est. Ut enim navis, perito & bono nauclero destituta, ad præruptos Oceani scopulos, à recto, ventorum procellis cursu depulsa, tandiu illiditur, donec in partes dissiliens, omnes qui in eadem navi vehuntur, in profundissimas aquarum voragines demergat: sic Resp. multis periculis exposita, nisi magna industria & prudentiâ singulari regatur & administretur, facillimè naufragio factò omnes cives in nefandam perniciem secum trahit & prorsus evertit. Etsi autem non is sum, qui de re tam sublimi tamq; gravi cogitationes suscipere debeam, ad eam quoq; dicendo tractandam me ipsum haut parem agnoscam, quippe qui rebus ijs ferè omnibus, quæ ad dicendum requiruntur, sum destitutus a deo, ut vix quicquam inveniam, quo fretus in hunc locum me contulerim: & talem in locum, qui nihil admittit, vel ad-

mittere debet, nisi ingenij quodam acumine profectum, indefessi alicujus studij industria elaboratum, altioriq; mentis sanioris indagine perpensum; tamen omne illud, quicquid est impeditenti, vicit discendi cognoscendiq; non illaudanda (ut ego opinor) cupido, benèq; dicendi studium. Cum enim cymbulam meam immenso Juris pelagò committere ausus fuerim, dicendi facultate, tanquam remis velisq; opus esse duxi, cujus beneficio in eo progressus non pænitendos facere, & feliciori cursu tutius in portum citra naufragium pervenire possem. Etenim dicendi facultate quid non consequimur? afflictos & debilitatos erigimus; perterritos timore vacuos reddimus; seditionum fluctus compescimus; feros & agrestes homines ad humanitatem perducimus. Verum enimverò nisi quis in dicendo se exercuerit: is ubi dicendum aliquando erit, ineptus & hæsitans, aut etiam planè mutus reperietur. Neq; refert legere eloquentissimorum virorum scripta, vel audire eosdem causas suavi verborum flore ac lepore orantes, nisi nos ad idem iter accingamus, & eorum semitis insistamus, aut insistere conemur: aliàs enim verendum esset, ne nobis accideret quod illis evenire solet, qui aliquandiu in vincula coniecti, cum tandem solvuntur, ob diuturnam vinculorum consuetudinem ambulare nequeunt; imò claudis ut plurimum pedibus incedunt. & ut videtur incivile ad vicinum proficisci ignis accipiendi gratiâ, ibiq; invento luculentissimo foco desiderare, ædibus proprijs neglectis: ita prorsus indecens est, ab alio doctum sermonem audire, minimèq; curare, ut domesticus ignis, vis ingenij accendatur. Hæc & similia cum sæpè mecum sum meditatus, tantum apud me effecerunt, ut etiam (licet non sine quodam timore) hanc cathedram optatissimorum auditorum coronâ cinctam, ascendere non erubuerim. Cum autem quamplurima

rima

rīma sint, ad quæ acies ingenij intendi possit, ex tantâ re-
rum maximarum copiâ mihi materiam meis quodam-
modo viribus æquam sumere, operæ pretium existimavi.
Dicam autem, Deo benè fortunante, de Adulatoribus,
eosq; minimè in Rep. ferendos esse, argumentis, quantum
feri potest, firmissimis demonstrabo. Quod dum tenui
saltem non adipali Orationis genere explicare conor: vos
Reverendi, Amplissimi, Spectatissimiq; Viri, etiam atq;
etiam oro, ut favoris vestri fulcimine meam in dicendo
imbecillitatem sublevertis, & temporis hujus usuram mihi
tribuatis, moram autem & jacturam, si quam his audien-
dis facitis, æquis animis feratis. A vobis autem viri Ju-
venes Nobilissimi ac præstantissimi, peto atq; contendo,
ut quâ soliti estis benevolentia alijs præbere aures, mihi
easdem ne denegetis. Principiò Auditores id confide-
retis mecum velim & recognoscatis: ubinam locorum
aliqua societas benè constituta extiterit, in quâ turpissi-
mis Rerumpubl. corruptoribus & devastatoribus, adula-
toribus locus sit concessus? Repetite mecum & revolvite
priscorum historiarum monumenta; & invenietis, nul-
lum genus hominum majori turpitudinis & perfidia notâ
inultum, quàm perversam illam fraudulentissimorum ho-
minum catervam. Et certè si rem penitus considerare,
& ad calculos revocare voluerimus; num quid turpius,
num foedius, num etiam magis noxium communi homi-
nū societati reperiemus, quàm si quis se adulatorem
profiteatur, eâq; qua divinitus præditus est ratione ita
abutatur, ut in detrimentum proximi adeoq; totius Reip.
vergat? Quid enim aliud est adulatio, quam ostentatio,
quæ fallaci laude imponit alteri? Illi enim qui adulationi
nomen dedit, hoc agit præcipuè, ut virtutes quantumvis
exiguas, si in aliquo eminere videat, supra modum admi-
retur, & tanquam singulare quid multis, ijsq; blandis ver-
borum

borum technis explicet & extollat: vitia vero quantumvis enormia extenuet, aut etiam præclaris optimarum virtutum nominibus, vestiât. Quo quidem quid perniciosius, aut derestabilius fieri possit, non video. Adhæc intempestivis suis laudationibus eos, qui alioquin laudis cupidi reperiuntur, dementant, & planè insanos reddunt, idq; faciunt aut placendi studio, qui assentatores: aut lucri causa, qui parasiti: aut ut vitent periculum, qui dissimulatores: aut deniq; nocendi studio, qui impostores proprio nomine dicuntur. Quibus infandis ex rebus Auditores, facile colligere poteritis adulationis fructus. Est quidem ita: nemo non suum ab adulatoribus nomen prædicari gestit, seq; in faciem laudari lubens permittit. Commune hoc ferè omnium est vitium, communis labes, commune erratum. Ac sane nescio, quo illi pacto, sub specie internæ alicujus amicitiaë hoc vel illud decere affirmant? cùm tamen nequaquam deceat: quibusve blanditijs viam aditumq; sibi parent ad eum quem decipere, constituerunt. Illud sentimus, hæc via paratâ, his nequitiaë suæ fenestris patefactis, eos planè se ad vitam mores & actiones ejus, quem corrumpere student, componere: si

— — Rides, majore cachinno

Conculitur: flet, si lacrymas conspexit amici:

Nec dolet: igniculum si bruma tempore poscas

Accipit endromidem: si dixeris astuo, sudat.

Quæ quidem omnia, quæ adulatorum propria sunt, Theophrastus, cum alicubi ad vivum exprimit, tum tandem tribus verbis comprehendit. In summa (inquiens) assentatorum semper videbi omnia sua dicta & facta ad voluntatem aliorum referre & conformare. Accedit huc, quod idem turpiter sint officiosi, gestiant, applaudant, plumas de vestibis sublegant: sputum non etiam nunquam (sit dicto venia) lingant, tolerant colaphos.

Cumq;

Cumq; veri amici nomine se magnatibus vendicent: fingunt sibi egregie cum principis ingenio convenire: aut si quo corporis vitio laboret princeps, se ita accommodare, norunt, ac si eodem vitio laborarent; non multum dissimiles Hyacintho lapidi, qui cum caelo facit mutationem, nec æqualiter ratilat, cum aut nubilosus est, aut serenus dies; vel Heliotropio herbæ solari, quæ solis ortum manè spectans, ejus iter ad occasum sequitur, ita, ut ad eum semper se convertat. Noverunt enim Adulatores, morum ac studiorum similitudinem, plurimum facere ad conciliandas & excolendas amicitias. Dionysius cum cæcutiret, assentatores etiam cæcutire simulabat, ut inter cæmandum pocula, quadras, patinas & alia de mensa deicerent. Idem si rideret, Charisophus quidam effusè itidem ridere solitus est: quæsitusq; quid rideret, quod, inquit, existimem digna risu quæ dicitis. Hieronis quoq; adulatores, cum viderent Regem oculis esse hebetibus, æmulabantur dominum. Sed & illud de Arabum quibusdam populis scriptum legimus, apud quos ea invaluit consuetudo, ut si Regem suum aliqua corporis parte affectum aut decurtatum viderent, statim ægritudinem sui Principis, illo membro fascijs lanaq; convoluto, imitarentur, & sic in publicum prodirent. Sequuntur ergò illum morem adulatores, quem diximus: quod & de Clisopho, Philippi Macedonis adulate, memoriæ proditum est. Rex enim cum ex vulnere in pugna quâdam acceperat claudicaret, in ejus conspectum Clisophus non prodibat, nisi claudicans eodem cum Philippo crure colligato: Idem ille Clisophus, cum in oppugnatione cujusdam Civitatis Argivorum, unus Philippo esset erutus oculus, postrius fasciâ oculum circumligatus processisse fertur: magnum existimans esse Regi solatium, socium calamitatis habere. O varium genus & mutabile, adulatores! quam
vos

vos aptè novistis vos transformare, & unâ horâ vel cên-
tum facies præferre, illasq; cum temporibus commutare?
Ut omnimodè in vos quadret, quod habetur apud Poë-
ram Satyricum de græculo esuriente, vobis assentato-
ribus est,

*Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus & Isao torrentior. Ede quid illum
Esse putes, quem vis hominem secum attulit ad nos
Grammaticus, Rhetor geometres, pictor, alippes,
Augur, Schænobates, medicus, magus: omnia novit.*

Itaq; rectè dicitur adulatio vel à canum moribus, quorum
adulari proprium est: siquidem Græci *κύνων* caudam vo-
cant, unde adulari dicitur, quasi adurari; quod à canibus
trahitur. canes enim motu caudæ cum cibum expectant,
serviliter abblandiri videmus: vel à servitute; vel ab ol-
lis, quod parasiti qui ex genere adulatorum, ollam, id est
nidorem culinæ & apparatus mensæ observant; vel ab
alludendo paucis literis interpositis, ut putat Festus. Sed
videamus, quo artificio, qua astutiâ, quâve perfidiâ eos
corrumpant, quibus adulantur. Expugnatis enim & suâ
adulatione expulsis ex hominum animis virtutibus, nihil
aliud ipsis inhalant, nisi arrogantiam, fastum, contemptum
veri, impietatem, omnè vitium. Qua quidem in arte su-
pra modum excelluerunt Athenienses. Nec enim aliunde
Alexander ineptam de divinitate sua opinionem con-
cepit, quam quod à Dexippo & Demade & Evagora
Atheniensibus, pro Deo cultu fictitio esset habitus. De-
metrius item Macedonia Rex, cum frequenter apud
Athenienses versaretur, tam impudenter ipsi adulati sunt,
ut Deum appellarent, & adoratione ei divinos honores
exhiberent, quin etiam in sacris solemnibus cantico usi sunt:
Reliquos omnes Deos dormire, solum Demetrium ve-
rum esse Deum, & pro ipsorum salute excubare. Idem
ille

ille Demetrius, cum Pylum ac Panactum, duo quasi Atticæ propugnacula occupasset, populoq; Atheniensi liberè restituisset: Athenienses tanto affecti beneficio, suam adulationis morem sectantes, ædem Demetrio post Palladis templum hospitij titulo concesserunt, decreveruntq; ut Demetrii Regis omne præceptum apud Deos hominesq; sanctum esset: cum tamen scirent, in tanta eum vivere turpitudine, ut non solum cum mulierculis urbanis consuesceret, verum etiam, (quod renuente verecundia vix proferre ausim) alia nefanda parraret. id quod vel unius Democlis præstanti forma pueri factum nos edocet. Hunc cum neq; precibus neq; minis posset ad nutum pertrahere, à publica palæstrâ recreandi animi gratiâ ad privatum balneum decurrentem clanculum est insectus. Puer autem videns, sibi vim inferri, nec aliter se honorem posse tueri, in lebetem aqua ferventi plenum insilijt, & indignissimè moriens se à Demetrii scelere vindicavit. Sed quorsum hæc? ut intelligatis, omnem prorsus verecundiam & pudorem ut apud Athenienses, ita apud quosvis adulatores, planè extinctum. Quemadmodum enim Athenienses pessimo Regi maximos honores exhibuerunt: ita adulatores pessimum quemq; blandissimis mendacijs optimum efficere conantur. Itaq; non rarè accidit, ut opes, regna & dominos suos evertant. Sæpius, ait Q. Curtius, assentatio Regum opes quam hostis evertit. Probant id exempla quamplurima: de quibus pauca saltem attingere placet. Quis Crassum in Parthos cum copijs profectum hostibus tradidit? Andromachus parasitus. Quis Philippi Macedonis regnum perdidit? Proclides adulator. Quid Xerxem regem potentissimum pessumdedit? manus Sycophantarum. O quam verè dixisti, qui dixisti,

B adulato-

adulatores esse divitum vermes! nam ut illi arrodunt ligna, sic isti divitias. Quæ cum ita sint, Auditores, ecquis sanæ mentis adulatores ferendos esse dixerit? quorum turpitudine si non aliunde, tamen inde elucesceret, quod adulatores apud eos inprimis locum habent, qui malitiosi sunt & laudis avidi. ab his enim amantur, idq; ideo, ut in gratiam dominorum traducant alios, eosq; calumnientur. An non videmus Parasitos fuisse apud pessimos quosq; tyrannos in gratia & summo honore habitos? licet multarum seditionum & dissidiorum autores essent? Quare cum tantâ labe Adulatio laboret, ut ubiq; meritò exulet: quis quæso eam feret in Republ. bene constituta, atq; adeò in ea, quam Philosophus *Ἰσομετρίαν* sæpè appellat? At, dicet aliquis: quam tu mihi fabulam affers, exulare debere à Rebusp. adulationem? cum compertum sit, Regum aulas hoc morbo singulari laborare? Monstrabo (inquit Seneca) tibi, cujus rei inopiâ laborent magna fastigia, & quid possidentibus omnia, desit: scilicet qui verum dicat. Graviter equidem Seneca & verè est locutus: idq; Antiochus Rex ille, qui Parthos oppugnavit, tum demum est expertus, cum aliquando in venatione à comitatu suo aberrans, diu per sylvas ignarus loci vagatus, inq; casam rusticam tandem delatus, apud eos cænavit, qui quemvis alium potius, quam regem sibi adesse arbitrabantur: unde cum in cæna fortè sermo à rustico esset injectus de Rege, data jam occasione, longius sermonem produxit, cupidus resciscendi quid de se plebs sentiret. Illi vero non vitijs sed virtutibus regis quam plurimis enumeratis, illud saltem in Rege improbarunt, quod in exsequendis negotijs improborum quorundam operâ uteretur, quibus nimium fidei haberet. Tum Rex quidem

dem tacuit: verum cum manè vestigia illius secuti satel-
lites cum insignibus regni adessent, contemplatus diade-
ma & purpuram dixit: Heri primum ex quo vobis utor,
audivi de me veritatem. Et quod Antiochus ille for-
tuito casu, Matthias Hunniades sponte & data opera
sæpe numero fecisse dicitur, neq; commodiori via famam
& rumores de se sparsos colligi posse existimavit. Sed
quid exemplis illud ostendere laboro, quod quotidiana
ferè testatur experientia? annon hoc nostro etiam tem-
pore adhuc fieri, compertum habemus & fatendum est,
Principum aulas plerumq; adulatorum & assentatorum
turbâ ita esse refertas, ut vix ac ne vix quidem veritatis
lucem per densissimas blanditiarum & adulationum
nebulas quasi emicantem illis videre liceat? Undecimum
Galliæ Regem Ludovicum aliquando dixisse ferunt,
se in regno suo, & potissimum in aulâ propriâ, abundare
omnibus rebus, unâ excepta. Quæsitus à quodam, quam
ergo rem innueret? veritatem respondit. Scitè igitur
Seneca Principum aulas depinxit. Verum si humanæ
fortis conditionem considerare voluerimus; quis repe-
rietur, qui non aliquibus adulationum blanditijs affici
se patiat? In hoc quidem omnes facilè labimur; est
hæc nostrum omnium infirmitas, ut quisq; lubenti animo
& præconem suum audiamus, & feramus eos, qui no-
stris moribus abblandiantur. Quotus enim quisq; est,
qui suas prædicari laudes ab alio renuat? annon *Φιλαν-
θίας* malo sive amore nostri adedò plurimam partem
sumus implicati & irretiti, ut cum cæcutimus, Argum-
visu superare nobis videamur? annon, quo imperitio-
res, edò sapientiores? quo stupidiore eo prudentiores
volumus haberi? anne in infimam servitutem abjecti,
libertatem; vitijs foedissimis inquinati, virtutem nos

consecutos ut plurimum arbitramur? Et licet ferè omnes, plerumq; tamen magnates huic morbo solent esse obnoxij; quo sæpe numerò & sensibus privantur, & ineluctabili fato præcipites aguntur. Quid enim aliad agunt perfidi illi adultores? quid moliantur, quam ut fictæ amicitia faciem gerentes callidis blanditijs intellectum hominum corrumpant, ansamq; nostræ offensionis ab amoris aditu, quo unusquisq; seipsum diligit, arripientes, omnis mali nobis autores existant? Per hunc aditum verba adulantium nemo facilè recusat, quippe cum gloriae & laudis cupidi, illis tanquam suavissimo Sirenum cantu, quo laudes nostræ celebrantur, nos capi libenter permittamus. Quænam igitur pestis poterit oriri major, quam venenosa ejusmodi adulatio? aut ubi locorum major ejus est seges, major cultura, major proventus, quam in magnatum domibus? Declaravit id suo exemplo Sigismundus Imperator, qui cum assentatores se veluti pestes odisse diceret, Brunonius Neronensis respondit, tamen nullum genus hominum magis amas, quam adultores. Tum Sigismundus, vincis sanè, inquit, Ita enim naturâ comparatum est, ut cum vitandos esse adultores dicimus, tum maximè illis hereamus. nam nec tu mecum tamdiu fuisses, nisi meis moribus abblan-
diri assuevisses. Sed & Alexandrum illum Magnum, Dionysium Siculorum tyrannum, Caracallam & alios, assentatorum catervâ cinctos & stipatos fuisse legimus; ex quibus Caracalla non solum clementiâ, verum etiam liberalitate suos assentatores tantâ est recutus, ut auri vim omnem, crebris exactioibus ansam, inter eos distribuerit. Quod etsi ita est: tamen semper fuerunt boni Principes, qui adultores sunt detestati, eosq; novercali ac Vatiniano odio habuerunt. Octavius Augustus,

flus, si quis inter salutandū flexisset caput, aut assentaretur
blandius, foras detrudi & exigi jubebat. Alphonfus Rex
nihil magis in vita averfatus est quam parasitos adulator-
res: quos etiam pestem principum appellare consuevit.
Idē dicere solitus est, adulatores lupis haut absimiles esse.
Nam ut lupi tirillando & scalpendo asinos vorant: ita
adulatores ad perniciem principum blanditijs simul &
mendacijs intendunt. Agefilaus Lacedæmoniorum
Rex cum videret, adulatores omnia placendi studio lau-
dare, nunquam adversari, nemini molestos esse velle,
mendacia veris concinnare, simulando quoq; ac dissi-
mulando semper verum occultare, & ut verbo omnia,
cum animadverteret, præposteris & perversis moribus
adulatores esse præditos: non secus eos aspernandos,
infectandosq; esse dicebat, quam propria vitæ insidia-
tores. Eosdem M. Cato ille, qui ad Uticam sibi vio-
lentas manus intulit, summo semper odio persecutus est,
ut teterrimos Reip: hostes & bonorum omnium infecta-
tores. Turpissimum enim esse putabat, blanditijs adu-
lationibusq; imperitam multitudinem decipere, & nobi-
lissima ac summa virtute ornata ingenia, quæ non ad
gratiam & voluptatem, sed ad virtutem & veritatem
sua consilia referunt, debitis honoribus fraudare. Quid?
quod & ille ipse cujus paulò antè facta est mentio, Sigis-
mundus Imperator, alteri supra modum eum laudanti
& dijs similem esse dicenti alapas dedit; dicentiq; cur me
cædis Imperator? cur me, inquit Sigismundus, mordes
Adulator. Aristobulus quoq; historicus librum con-
scripserat de rebus ab Alexandro Macedone gestis, in
quo multa adulantissimè & falso affinxerat. Eum cum illi
in navigatione recitasset, Alexander arreptum è manibus
librum in fluvium Hydaspem demersit, & ad autorem

conversus: tu inquit dignior eras ut eodem præcipitare-
ris. Alexander autem Severus, Imperator, inde severi
nomen sortitus est, quod severitatem præ se ferret, & as-
sentatores principum pestem execraretur: quapropter
aulici canes & hircines ab ejus aula quam longissimè
discedebant, præter unicum aliquem Verronium Thuri-
num, qui erat intimus Alexandri, præsertim cum vultu
nulli probitate videretur secundus, re ipsa tamen & even-
tu omnium adulatorum pessimum se exhibuit. Sæpè
namq; in causis ab utraq; parte dona capiebat, fingendo
se quidvis posse ab Imperatore impetrare, adè ut ejus
infamaret imperium, persuaseratq; hominibus nutu suo
omnia fieri. Sed fraude detectâ quid fit? In carce-
rem conjicitur, damnatur, palo alligatur, fumo ex sti-
pulis & lignis humidis factò necatur: Præcone interim
dicente: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Neq;
immeritò: imò optandum esset, ut in omnes hodiè Ve-
tronios, qui gratiâ Principum ad questum abutuntur, tale
exemplum ederetur; & absq; dubio ex tantâ rerum
caligine clariorem lucem haberemus. Atq; hîc Audi-
tores intermittere non possum, quin gravissimam juxta
ac elegantissimam à Cæcilio Balbo Imperatori Augusto
factam admonitionem recenseam. Imperator (inquit)
Auguste, tum in multis, tum in eo maximè elucet pruden-
tia tua, quod isti nondum te insanum reddiderunt, qui
ut tibi applaudant, non mōdò Dijs, sed tibi ipsi & po-
pulo injuriam faciunt. Deorum siquidem minuunt reve-
rentiam, quos pares faciunt tibi. Te arguunt insipien-
tiæ, dum conditionis tuæ repugnante naturâ te numini-
bus esse similem, persuadere cupiunt. Notâ superstitio-
nis inurunt populum, cui mortales Deos pro immortalibus
persuadent esse colendos. Sane in eo aliquid divi-
num

num tibi inesse monstrabis, si omnes istos, qui divinitati
ræ fraudulenter applaudunt, rapi feceris ad tormenta.
Quis enim Deorum ei parcat, à quo se deceptum iri
intelligit? Quis non irruat in eum, qui aureos Jovis
oculos eruit, aut argento gemmisq; sublati Vestam
nititur excæcare? Nempe Deos invisibiles & immor-
tales circumvenire, & eis fallaciæ parare insidias, gravio-
ris culpæ est, eò quod ab illis visibilibus Deorum fabrica
sustentatur & regitur, & honorem aut contemptum, qui
istis exhibetur, illi remunerant. Si sapis ergo, Auguste,
in Deorum hostes insurge, & te si non Deum, quod
nequâquam es, vel Deorum docebis esse cultorem, si
deceptores istos exterminaveris, excæcatores tuos, Deo-
rum contemptores & utrorumq; injuriam punias. Ha-
ctenus Balbus. Nos autem probavimus adula-
tores non esse ferendos. Nunc planum faciemus;
neq; permittendum esse, ut adulatores populi in Civi-
tate sint. Dicimus autem adulatores populi, qui quibus-
cunq; possunt officijs & assentionibus se in populi
benevolentiam insinuant, ut illâ sibi comparatâ, quic-
quid in civitate velint, etiam possint. Hos in Rep.
aut civitate nequâquam esse ferendos, quâ poterit fieri
brevitate & perspicuitate demonstrabimus. Si enim
nec in ecclesia, nec foro, nec curiâ, nec in vita privata
tolerandi sunt adulatores, quis in civitate illos feren-
dos esse censebit? Sed in Ecclesia concionatores qui
adulantur, qui divitibus peccantibus sua scelera non,
indignant, sed ipsis culcitas, quo brachia reclinent, molissi-
mas sternunt; hi & se & illos, quibus illos Melitensi
pluma factos lectulos ornant, in æternum exitium præ-
cipitant. Eò enim proh dolor res redijt, ut illorum multi
magis de acquirenda sibi pecunia, quam de salute audi-
torum

torum sint solliciti, & quidem adeò, ut eos, à quibus cõ-
modi aliquid in se redundare posse vident, in vitijs per-
severare patiantur, ijsq; quasi applaudant, dum, si pro-
digi sunt, vocant liberales, si avari, parcos si lascivi,
curiales, si obstinati, constantes; & ita ad eorum ca-
ptum se perperam insectant. Quæ res quàm exitio-
sa sit; multi in illo decretorio die dolebunt. Simili-
ter experientia testatur, quantum mali secum afferat,
si in Judicijs aut senatu corrumpanitur sententiæ: si
adulator nomina rerum permutet: si quid avaritiæ
nomine laborat; id parsimoniam: quod libidinosum
est, hilare & humanum: quod malum est, bonum appel-
litet & judicet. Ranas ultra solitum vocales metuumus
tanquam gravium tempestatum nuncias: majoris
certè tempestatas in Rep. nuncij sunt istæ forenses & se-
natoriæ ranæ, quæ adulationum suum *βραβουκονεξ* ubiq;
coaxant & eructant. Domestica deniq; adulatio uti
pestis totius familiæ, ita toti etiam Reipub. incommodat:
cum Reip. interfit, ut liberi rectè educantur, ser-
vi & tota familia justâ & honestâ disciplinâ corrigantur
& contineantur. Nam ubi parentes liberis, maritus
uxori, herus servis, domina ancillis indulget quidvis:
ibi corrumpi omnes necesse est. Quemadmodum Par-
dus odoris gratiâ ad se allectas feras invadit atq; occi-
dit: sic illa lenitas & blandities affert pernitem toti
domui totiq; urbi. Quis igitur tolerabit in Civitate
adulatores populi? quos esse patriæ proditores certius
est, quam ut de eo cuiquam sit dubitandum. Ideò enim
arrident populo, ideo ipsi blandiuntur ut eum postea
invadant, & Rempubl. occupent. Quid hoc aliud est,
quam prodere patriam? Cur ridebat Cæsar? cur tantam
auri vim in spectacula, in frumentationes profunde-
bat? ut po-

ut populum in invadendâ Republ sibi haberet magis ob-
sequentem. Cur Clodius adulabatur plebi? cur deserto
senatu fecem & turbam colebat? nullam aliam ob cau-
sam, quam ut acquireret imperium. Perinde atq; pisces,
qui non omnem escam amant, sed alius aliâ delectatur:
unde piscatores gnari, quam quisq; maxime appetat,
fallunt, eâ potissimum objectâ: Ita noverat Clodius
plebem, quippe (cujus ingenium deprehenderat) non se-
veris & Imperatorijs dictis, quibus abhorrent, sed blan-
dis mollibus posse duci & nullo negotio rapi. At, in-
quis, Tribunus erat Clodius, non adulator? Fateor equi-
dem, Clodium Tribunum fuisse, & ideo à plebe rece-
ptum, ut adversus optimates jura ejus defenderet: Sed
si finem perpenderit, cur Clodius se ita demiserit, ut ex
patrio factus sit plebejus: deprehendes eum fuisse ma-
ximum adulatorem, & non solum Remp. perturbasse, sed
patriæ quoq; proditorem fuisse & existisse. Quis igitur
Auditores ejusmodi adultores in civitate tolerabit? quis
eis lucem concedet! Hostes apertos capi & occidi jube-
mus: Adultores populi, qui apertis multo nocentiores
Reip. hostes sunt, vivere, at vivere? imo in senatum ve-
nire permittemus? Moenibus urbis hostem defendis? Et
intra muros civitatem adulationis facibus inflammatam
desagrarare sines? O rem teterrimam Adulationem! Tu
nullibi in benè constitutis Rebus publ. locum habes, vel
certè habere debes! Tu præsentissimum es exitium ijs,
quos laudationibus tuis dementas! tu turpia quæq; per-
petrare non vereris! tu in faciem laudas! tu gulam do-
minoram habes! tu officiosè gestiendo, & sexcentis alijs
vitiis & adulationum adminiculis & fulcimentis pla-
cita tua stabilis! tu non nisi apud eos in primis locum
habes, qui malitiosi sunt & laudis avidi: quis te in-

C

Eccle-

Ecclesia? quis in foro? quis in curia? quis in vita pri-
vata? quis in ipsa civitate feret? quis te tanquam car-
cinoma patriæ è medio tollendam non censeat? O
pestem contagiosam! ô hostem fraudulentum! ô exi-
tium Reipubl. nefandum! at contra ô auram salu-
tarem! ô amicitiam concordem! ô Rempub. floren-
tem! quæ perverso hoc adulatorum monstro caret!
Agite ergo, Auditores optimi, fugiamus pestem hanc,
& fruemur aurâ salutari: hostem hanc repellamus, &
amicitia concors colerur: exitium hoc omni studio
evitemus, & Respub. vigebit, virebit,
florebit.

D I X I.



Virtu-

Virtute & literis instructissimo, præstan-
tissimo, amplissimi Megapolitani CANCEL-
LARI FILIO,

DN. JOACHIMO von Nessen/
DE ADULATORIBUS DICENTI.

Vendere Magnatum circum pallatia fu-
mos;

Et blandis animos dictis mulcere potentum,
In pejus quo cuncta ruant retroq; ferantur,
Turpis Adulator semper studet atq; laborat.
Hinc quanta pestes, & quanta incommoda sur-
gant,

Concinno JOACHIME refers sermone; politis
Gestibus, & docta, placito moderamine vocis.
Dignus mente tuâ conatus! & indole dignum,
Tantâ, laudanda specimen virtutis & artis!
Perge age, sic quondam patrij non degener oris
Existes haeres vitæ sortisq; paterna:
Grataq; sic laudemq; tuam, nomenq; paternum
In te longævos extendet fama per annos.

dictante calamo L.Mq; adponebat


IOANNES Eys/ Hamburg.

1730

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



ut populum in invadendâ Republ sibi h
 sequentem. Cur Clodius adulabatur ple
 senatu fecem & turbam colebat? nulla
 sam, quam ut acquireret imperium. Per
 qui non omnem escam amant, sed aliis
 unde piscatores gnari, quam quisq; ma
 fallunt, eâ potissimum objectâ: Ita n
 plebem, quippe (cujus ingenium deprehe
 veris & Imperatorijs dictis, quibus abho
 dis mollibus posse duci & nullo negotio
 quis, Tribunus erat Clodius, non adulator
 dem, Clodium Tribunum fuisse, & ide
 ptum, ut adversus optimates jura ejus de
 si finem perpenderit, cur Clodius se ita
 patritio factus sit plebejus: deprehende
 ximum adulatorem, & non solum Remp.
 patriæ quoq; proditorem fuisse & exstitit
 Auditores ejusmodi adulatores in civitate
 eis lucem concedet! Hostes apertos cap
 mus: Adulatores populi, qui apertis mu
 Reip, hostes sunt, vivere, at vivere? imo
 nire permittemus? Mœnibus urbis hostes
 intra muros civitatem adulationis facibus
 deflagrare sines? O rem teterrimam Ad
 nullibi in benè constitutis Rebuspubl. le
 certè habere debes! Tu præsentissimas
 quos laudationibus tuis dementas! tu tu
 petrare non vereris! tu in faciem lauda
 minorum habes! tu officiosè gestiendo,
 vitiorum & adulationum adminiculis &
 cita tua stabilis! tu non nisi apud eos in
 habes, qui malitiosi sunt & laudis avi
 C



ob.
 erto
 cau-
 ces,
 tur:
 at,
 dius
 n fe-
 lan-
 , in-
 qui-
 ece-
 Sed
 t ex
 ma-
 sed
 itur
 quis
 be-
 ores
 ve-
 Et
 am
 Tu
 vel
 ijs,
 der-
 do-
 alijs
 pla-
 m
 in-
 cle-